

spatio 5 horarum non potuisset tota maris latitudo, quae satis magna est, ab ingenti illa israelitarum multitudine transmitti. Ergo non per totam maris latitudinem transierunt, sed per semicirculum ad eiusdem littoris, per quod ingressi sunt, oram aliquam reversi sunt. R. Dux *Moses* cum israelitis mare rubrum non transivit, ubi est latissimum, sed ubi est breve fretum, quod pauculis horis traici potuit. *Ioannes de Barros* (1) isti freto arabico, eo loco, ubi a *Moyse* divisum fuit, duntaxat novem millia passuum assignat: *Claudius Sicard* vero supra (2) citatus admittit, latitudinem illam esse 5 vel 6 horarum. Illud tamen praesens obiectio adversariorum evincit, illam maris rubri per virgam *Moysis* divisionem fuisse valde magnam secundum freti longitudinem; quoniam per eam intra paucas horas omnia castra hebraeorum transire debuerunt, quae, ut supra (3) advertimus, facile tribus hominum millionibus constabant. Porro, an exercitus hebraeorum per unam tantum viam, an per duodecim vias transierit, pro numero videlicet duodecim tribuum populi hebraei, ut perantiqua tum hebraeorum, tum christianorum traditio fuit; erudite examinat *Pererius* (4) eligens primam sententiam, et cum s. *Hieronymo*, ac plerisque recentioribus merito defendens, unam tantum in

(1) In suis de Asia historiis decad. 2, l. 8, c. 1.

(2) Ad initium num. 55.

(3) *Argum. III.* Sed *instant*, etc.

(4) *Comment. in c. 14. Exod.*, disp. 2.

(5) In citata dissert.

(6) Vide supra n. 52.

(7) In lexico philosoph. et tractatu de toler.

(8) *Moses* Deut. c. 9, v. 21, ait: *Pecatum autem vestrum quod feceratis, id est vitulum, arripiens igne combussit; et in frustra comminuens, omninoque in pulverem*

mari viam factam esse: praesertim cum miracula absque necessitate multiplicanda non sint. Idem sentit etiam *Calmetus* (5).

§. III.

De vitulo aureo, et itinere israelitarum per desertum.

35. QUÆRES XXIII. *Quomodo vitulus aureus Exod. 32, v. 20 potuerit a Moyse conteri usque ad pulverem, et hic pulvis potabilis reddi? Antequam respondeam, observo, Zapatam* (6) fateri, se chemiae imperitum, proin nescire se, utrum *Moses* vitulum aureum vere reduceret in cinerem; *Voltaireum* (7) vero absolute negare, aurum huius vituli a *Moyse* potabile redditum. Hoc praenotato, dico, interpretes minime convenire in citato textu explicando. Plerique censent, *Moysem* validissimis ictibus malleorum contudisse vitulum aureum: ac denique sub mola contritum, pulverem effecisse. Corpora enim auro longe duriora possunt abradi, conteri, ac comminui in tenuissimas particulas. Favet etiam huic explanationi alius locus s. Scripturae (8). Ceterum usus pulveris auri olim communis fuit (9). Alii censent, aurum non simpliciter, sed arte quadam chemica a *Moyse* solutum in pulverem esse, ut aquae permixtum instar liquoris hauriretur. Certe *Emmanuel Sa* notissimus interpres

redigens proieci in torrentem, qui de monte descendit. Autographum hebraicum habet: Contrivi illum molendo bene, donec in pulverem comminutus esset, etc. Textus chaldaeus indicat vitulum in mortario contusum: Arabicus lima tandiu abrasum, donec penitus in pulverem abiret.

(9) *Iosephus* lib. 8 Antiq. c. 2, narrat, iuvenes aulicos *Salomonis* auri pulvere crines inspersisse. *Stephanus* vero ad *Saxonem grammaticum*, a p. 70 observat, auri pulvere conspersas dapes esse.

fidenter pronuntiat, peritum alchymistam aurum ob oculos suos in pulverem redegisse. Praxin quoque aurum in pulverem chemice dissolvendi exacte describit *Statlerus* (1), idque fieri posse testantur celeberrimi chemici aetatis nostrae *Senac*, *Macquer*, *Ruelle*, *Baro*, *Stahl* (2). Taceo alios magno numero, qua medicos, qua historiae naturalis scriptores, quorum aliqui inter socios ipsius academiae regiae scientiarum tam parisiense, quam londinense sunt.

At INQUIES: Si verum est quod aurum dissolvi possit, ac potabile reddi, non sequitur, hanc artem etiam antiquis, nominatim vero hebraeis, aut *Moysi* fuisse compertam. R. Ex graecis scriptoribus certissimum est (3), quod aegyptii, iam inde a temporibus primorum regum artes fundendi, et purgandi metalla cognoverint. Ita *Diodorus Siculus*, *Agatharchides*, et alii. Igitur in tanta multitudine hebraeorum, qui diu inter aegyptios versabantur, facile fuerit reperire hominem mysterii illius non ignarum. Imo cum ipse *Moses* in aula regia educatus et eruditus fuerit omni sapientia aegyptiorum, et fuerit potens in verbis et in operibus suis (4): nihil mirum inter ceteras etiam istam artem dissolvendi aurum, ad *Moysem* et hebraeos manasse.

36. QUÆRES XXIV. *Cur Moses hebraeos per desertum itinere 40 annorum duxerit, cum eos intra spatium aliquot dierum ex Aegypto in terram promissionis deducere potuisset? R. Potuisset quidem Deus*

aliquot dierum itinere israelitas ex Aegypto in terram promissionis deducere. Nam, teste *Abenezra*, ex Aegypto in terram Chanaan per regionem Philisthiim erat iter decem duntaxat dierum, quin opus fuisset transire mare rubrum. Deus autem, et *Moses* iuxta divinam dispositionem tam brevi itinere hebraeos in Palaestinam deducere noluit ex ratione non una. PRIMA fuit ne primis statim diebus a formidandis hostibus (philisthaeis) lacesciti, in Aegyptum reditum pararent; ferme sicut regredi voluere, cum exploratores a *Moyse* missi in Chanaan, ac inde reversi nuntiarent, quam fortes et bellicosi homines illam regionem possideant (5). Certe hanc ipsam rationem allegat s. Scriptura (6) his verbis: *Igitur cum emisisset Pharaon populum, non eos duxit Deus per viam terrae Philisthiim, quae vicina est, reputans ne forte poeniteret eum, si vidisset adversum se bella consurgere, et reverteretur in Aegyptum. Sed circumduxit per viam deserti, quae est iuxta mare rubrum.* ALTERA ratio, cur Deus tam longo et laborioso itinere israelitas in Palaestinam deduxerit, fuit, ut eos aerumnis et laboribus in dies magis assuefaceret, et eorum in servandis praeceptis divinis constantiam experiretur. Id clare iterum indicat s. Scriptura (7) dicens: *Recordaberis cuncti itineris, per quod adduxit te dominus Deus tuus 40 annis per desertum, ut affligeret te atque tentaret, et nota fierent, quae in tuo animo versabantur, utrum custodires mandata illius, an non.* TERTIAM et QUARTAM rationem affert *Iosephus* (8) his verbis: *Moy-*

(1) *Demonstr. evang.* § 515. Et in mineralogia p. 1, §§ 85, 123 et 169.

(2) Omnium loco potest esse *Stahlii* dissertatio de auro potabili, quae legitur inter opuscula eius *minora*.

(3) Vide cl. *Weissenbach*, t. 1, Theol. biblicae, p. 177 et 178.

(4) *Actorum* c. 7, v. 21 et 22.

(5) Num. 14, v. 5 et 4.

(6) Exod. c. 15, v. 17 et 18.

(7) Deut. c. 8, v. 2.

(8) Lib. 2 Antiq. c. 6.

ses autem hac via hebraeos ideo duxit, ut, si aegyptii mutata sententia, persequi eos vellent, poenas malitiae violatique pacti persolverent: neve palaestini, quos ob veterem simultatem infensos habebat, de hac profectioe certiores fieri possent. — Quapropter omissa via, quae in Palaestinam (per terram Philisthiim) ducit, per desertum via dispensiosa ac difficili voluit Chananaeam invadere. Ut autem ista Iosephi verba melius intelligas, inspicere chorographiam terrae sanctae praefixam tomo I, commentar. Tirini. Denique QUINTA ratio addi potest haec: quia copiosissimus hebraeorum populus, antequam Palaestinam occuparet, imbuendus erat novis legibus et ritibus, nova regiminis forma, quam Deus praescripsit, et quae per quindecim saecula, quibus hebraei Palaestinam possidebant observanda erat. Iam vero ad hunc finem diuturna in deserto commoratio hebraeorum optime serviebat; ut Cl. Nonnotte (1) recte observat.

At DICES: Prima ex allatis quinque rationibus parum probare videtur, quia israelitae in itinere per desertum aequae cum hostibus amalecitis (2) dimicare debuerunt; sicut ipsis pugnandum fuisset cum philisthaeis, si via longe brevior per terram Philisthiim in Palaestinam profecti essent. R. Magna est disparitas. Nam pugna cum amalecitis primum post 40 vel adhuc plures dies ab egressu ex Aegypto contigit. Facta enim est haec pugna in Raphidim, ubi erat undecima israelitarum statio: unde proxime vene-

(1) In lexic. philos. relig. art. *Moyses*, § 6.

(2) Exod. c. 17, v. 8.

(3) Vide Exod. c. 19, v. 1 et 11, vide etiam com. *Cornelii a Lap.* vel aliorum interpretum in eundem locum.

(4) Vide tabulam chorographicam terrae sanctae praefixam t. 1, com. *Tirini*.

runt ad montem Sinai, die 47 post egressum ex Aegypto (3), ubi ipsorum duodecima statio (4) fuit. Praeterea cum ab amalecitis invadebantur iam erant confirmati interitu aegyptiorum in mari rubro, visisque aliis prodigiis (5) in ipsorum gratiam patris, nec facilis erat regressus in Aegyptum, cum non possent eo venire nisi post longum iter, et transeundo iterum mare rubrum, vel ipsius sinum circum-eundo (6). E contrario, si per terram philisthiim iter fecissent, primis statim diebus cum hoste formidando fuisset dimicandum, et longe facilius fuisset regressus in Aegyptum, sine transitu maris rubri etc.

Neque REPLICES: Deus israelitas contra philisthaeos defendere potuisset; sicut eosdem contra aegyptios in transitu maris rubri, vel contra amalecitas in deserto defendit. R. Potuisset hoc Deus, sed alio modo et via multo longiore voluit per desertum illos in Chanaan deducere, ex rationibus paulo ante allegatis.

CAPUT III.

De libro Levitici.

Liber hic hebraice ויקרא *Vajjikkra* a prima voce *vocavit* (7); latine vero et graece *Leviticus* nominatur, quia pro tribu *Levi* a *Moyses* in deserto (8) scriptus est; cum leges ad sacerdotes et levitas pertinentes contineat. Tractat enim capitibus viginti septem de offerendis sacrificiis et hostiis, de sacerdotibus et levitis, de eorum ordine et

(3) Vide Exod. c. 15, v. 25, 24 et 25. Exod. c. 16, v. 12 et seqq. Exod. c. 17, v. 6.

(6) Vide Tabul. chorograph. terrae sanctae, *Tirini*, aut aliorum interpretum.

(7) Vide supra praefat. in 1. *Genesis*.

(8) *Ibid.*

ministerio, deque diebus festis celebrandis. Porro generatim observandum, quod omnia illa antiqua sacrificia legis mosaicae figura fuerint sanctissimi sacrificii, quod Christus in cruce obtulit cruento modo, increuento vero quotidie in missa Patri divino offert; prout ss. patres et doctores orthodoxi unanimiter tenent et docent.

37. QUÆRES XXV. *Ad quid profuerint innumerae leges caeremoniales in libro Levitici et Deuteronomii contentae, quibus populus israeliticus onerabatur?* R. Contra *Voltaireum*, aliosque incredulos in leges has caeremoniales impudenter debacchantes, ac dico, nec multitudinem, nec varietatem harum caeremoniarum sanctitati legis mosaicae obesse, sed easdem ob fines sapientissimos a Deo institutas esse. Et I. quidem in tanto pruritu hebraeorum, hominum rudium erga sensibilia ad temporum illorum infantiam se Deus quasi demisit: atque ne soli viderentur hebraei habere religionem nudam, planeque a sensibus abstractam, variis ritibus ac caeremoniis eos ab idolis finitiorum populorum avertit, ut observat s. *Augustinus* (1): et ne daemones mactarent victimas, potius sibi mactari iussit, ut docet s. *Chrysostomus* (2). II. Hae caeremoniae erant totidem symbola, seu figurae, quae morum sanctitatem respiciebant, vel eventus futurae legis christianae praemonstrabant. Caeterum eruditus compertum est, apud omnes fere gentes, maxime orientales, fuisse semper in more posi-

(1) Tract. 10 in Ioan. dicens: *Illi populo pro eius carnalitate et corde adhuc lapideo, talia data sunt, quibus teneretur, ne ad idola deflueret.*

(2) In psalm. 49.

(3) Vide *Cornelium a Lap.* com. in Deut. c. 5, v. 8.

(4) I. Cor. c. 10, v. 11.

tum, ut mysteria theologiae suae sub velo aenigmatum, atque paraboliarum traderent, et partem maximam religionis in imaginibus, ritibusque repositam haberent. Quare nihil est mirum, Deum quadam sapientissima indulgentia gessisse morem ingenio populi, ex Aegypto tum recenter egressi: et partem religionis magnam variis ritibus et signis involvisse: ista tamen necessaria cautione ubivis adhibita, ut procul abesset omne illud, quo plebs rudis et superstitiosa ad aliquem creaturarum cultum induci posset. Ita gravissimis semper verbis vetuit simulacra ob periculum idololatriae (3). Quod vero caeremoniae et sacrificia legis mosaicae praeluserint mysteriis legis evangelicae tanquam horum figura, interpretes ad oculum ostendunt, collatione utriusque testamenti instituta. Imo, si rite inspexeris, non ritus solum, sed caetera quoque huc omnia V. T. gesta et facta ferebantur ut legem Christi novam significarent, iuxta illud d. *Pauli* (4); *omnia in figura contingebant illis*. III. His caeremoniis iudaei distinguebantur ab aliis populis: neque facile commisceri cum illis poterant, a quibus gravissimis de causis (ne nimirum in idololatriam, aliaque vitia finitimarum gentium inciderent) segregari debuerunt. *Moyses*, quo sibi imposturam gentem firmaret, inquit *Tacitus* (5), *novos ritus contrariosque caeteris mortalibus indidit. Profana illic omnia, quae apud nos sacra: rursum concessa apud illos, quae nobis incesta.* Quod etiam *Tertullianus* (6) probe notavit.

(3) L. 5 Historiarum, c. 4.

(6) L. 2 contra *Marcionem*, c. 18, ubi ita ait: *Sacrificiorum quoque (in lege Mosaica) onera et operationum et oblationum negotiosas scrupolositates nemo reprehendat, quasi Deus talia sibi desideraverit — sed illum Dei industriam sentiat,*

Sed OPPONES: Ipse s. Petrus (1) de iugo legis mosaicae dicit: *Quod neque patres nostri, neque nos portare potuimus*: ergo iugum illud (praesertim tot leges caeremoniales) fuit intolerabile. R. Conc. ant. dist. cons. Fuit intolerabile, id est, valde difficile, conc.; fuit simpliciter intolerabile, neg. cons. Scriptura, quod valde difficile est, solet moraliter impossibile vocare, ut ex pluribus eiusdem locis (2) patet. Moraliter autem impossibile non est simpliciter impossibile. Certum enim est, quod Deus non praecipiat impossibilia, cum talia praecipere tyrannicum sit. Immo constat, multos iugum legis antiquae olim portasse, ut de Iosue (3), Davide (4), Asa (5), Iosia (6), Elisabeth et Zacharia (7), et pluribus aliis (8) Scriptura testatur. Caeterum iugum legum caeremonialium, seu, ut Augustinus (9) loquitur, *sarcina innumerabilium observationum* durae iudaeorum cervici a Deo sapientissime fuit imposita, ne ad idololatriam, ut iam supra observavimus, deflecterent, et ut in exequendis illis caeremoniis continuo occuparentur, sicque deesset tempus sculpendi idola, et spreto vero Deo, exercendi ritus ethni-

qua populum primum in idololatriam et transgressionem, eiusmodi officii religioni suae voluit adstringere, quibus superstitione seculi agebatur, ut ab ea avocaret illos; sibi iubens fieri quasi desideranti, ne simulacris faciendis delinqueret.

- (1) Actor. c. 15, v. 10.
- (2) Math. c. 19, v. 24. Hebr. c. 6, v. 4, et c. 10, v. 26.
- (3) Iosue c. 11, v. 15.
- (4) Actor. c. 15, v. 22.
- (5) III. Reg. c. 15, v. 11.
- (6) IV. Reg. c. 25, v. 25.
- (7) Luc. c. 1, v. 6.
- (8) Vide Orig. contra Celsum, l. 1 et 5.
- (9) Serm. 9 de verbis Domini.
- (10) Locis paulo ante citatis.
- (11) Loc. cit. item ibidem c. 19, ubi ait, iudaeos observatione tot legum caeremo-

cos; prout s. Augustinus (10), et Tertullianus (11) recte notant.

38. QUÆRES XXVI. *Quomodo leges caeremoniales de illicito esu quorundam animalium, salva veritate historica rerum naturalium, explicari possint, e. g. dum Lev. 11, v. 6, esus leporis ex hac causa prohibetur, quia lepus ruminat quidem, sed ungulam non dividit: quod falsum est utrumque. Item dum Lev. 11, v. 13 israelitis prohibetur, ne gryphem comedant; cum tamen incertum sit, an gryphes dentur.* R. Moyses minime in his erravit, quia haec ex inspiratione Dei, qui nec in dogmaticis, nec in historicis fallere aut falli potest (12), adseruit. Et profecto ab incredulis ostendinequit, adductis s. Scripturae locis ullam subesse falsitatem. Nam quod leporem attinet, qui loc. cit. *ruminare* dicitur, id falsum esse nequaquam demonstrari potest; cum ipsi historiae naturalis scriptores hac in re concordans sint. Sic Buffon (13), quamvis ipse contrariae opinionis sit, tamen fatetur, quod aliqui auctores pro certo affirmant, leporem ruminare. Item fatetur in lepore inventam fuisse valvulam membranaceam subtilissimam, eiusdem fere

nialium fuisse occupatos, ut istis legalibus disciplinis ubique occurrentibus, ne illi momento vacarent a Dei respectu.

(12) Bene notandum, quod Deus scriptoribus theopneustis i. e. divinitus inspiratis, qui libros s. Scripturae primitus scripserunt, ita adstiterit, ut nec in dogmaticis et moralibus, nec in historicis unquam errarent. Vide Widenhofer Prolegom. in s. Scriptura, q. 4.

(13) Storia naturale, tom. 4 Della lepore, pag. 142, ubi ait: *Alcuni aulori han dato per certo che le lepri ruminano*; et pag. 167 ita habet: *Il solco spirale che circondava esterriormente il cieco, si trovava alla radice d'una lamina membranosa sottilissima, e di consistenza simile a quella dello stomaco chiamato beretta degli animali ruminanti.*

consistentiae, quae est in stomacho animalium ruminantium. Similiter in Valmontii dictionario histor. natural. lepus, artic. *animalia ruminantia*, ruminat; articulo *lepus* non ruminat (1). Possunt autem haec duo inter se conciliari dicendo, quod lepus vere ruminet, sed non adeo manifeste sicut alia animalia ruminantia, quae quadruplicem ventriculorum (2), et ungulam bisulcam habent, uti oves, boves, caprae. Rem hanc distincte explicat Ioan. Jacob Scheuchzerus academiae imperial. naturae curios. Leopoldino-Carolinae adiunct. et socc. regg. anglicae ac prussicae membrum (3) his verbis: *Vidimus supra occasione cuniculi, simplicitatem ventriculi non obstaré ruminati, et ventriculorum his animalibus (cuniculo et aliis leporibus) non tam simplicem esse, quam duplicem, saltem valvula membranacea eminenti interstinctum. Structuram hanc (duplicis in leporibus ventriculi) accurate, ut solet, describit Beyerus (4). Ruminati aliud indicium (in leporibus) est coagulum (in stomacho illorum reperiri solitum), cuius et meminit Aristoteles (5), ruminantibus (aliis animalibus) commune. Et paulo ante, nimirum pag. 281 idem laudatus auctor de cuniculo ita scribit: *Non quidem ruminant adeo manifeste digitata haec (animalia) ut bisulca, neque illorum ventriculi sunt adeo, ut horum, distincti, non quadruplices, sed nec simplices: discernunt (illorum stomachum) et oesophagi insertio, et valvula membranacea eminentis in duos (ventri-**

(1) Ita testatur Feller loc. mox citando.

(2) Animalia ruminantia quadruplicem stomachum plerumque habent, quorum primus *Ventriculus magnus*, alter *Reticulum*, tertius *Omasus*, quartus *Abomasus* appellatur; uti refert lexicon universal. lipsiens. t. 55, p. 2104.

culos). *Pinximus eum F. I.* (Et revera hic auctor ibidem stomachum cuniculi in figura exhibet). *Accedit experientia. Mandunt hoc genus animalia semihora post cibum: et sufficit ventriculi duplicitas et ruminati negotium, cum unicus suffecerit hominibus, qui ruminasse leguntur.* Hucusque Scheuchzerus. Porro etiam teste Feller in catechis. philosoph. tom. II, c. 2, artic. 4, § 2 vir ruminans Bristolii in Anglia anno 1757 extitit, et Beyerus varia exempla hominum ruminantium memorat. His omnibus perpensis, spectata etiam ratione humana, illi audiendi non sunt, qui dubitant, aut omnino negant, leporem ruminare: sicque auctoritas et veritas s. Scripturae leporis ruminatiem adserentis, quae iam aliunde potentissimis credibilitatis motivis stabilita est, manet in sua inconcussa possessione.

Quod autem alterum criminati membrum attinet, dum liber Levitici erroris incusatur, quia in eo loc. cit. dicitur: *Lepus — ungulam non dividit*, miror sane Zupatam (qui hoc obiicit, et cuius iam supra num. 32 meminimus) tam patenter aut suam malitiam, aut suam linguae latinae ignorantiam prodere, etsi de caetero integros satyrici salis modios ad res longe religiosissimas proterve irridendas in idiomate suo gallico iugiter prodigat. Existimat enim homo iste incredulus, leporem habere ungulam divisam, haud dubie hac de causa, quia lepus habet unguis plures et aculeatos: adeoque putat, aut se putare fingit, quod *ungula* idem sit ac *unguis*; id quod falsissimum est. Secus enim equi unguis haberent,

(3) In physica sacra, tom. 2, tab. 256, p. 285.

(4) Ruminat. l. 2, c. 6.

(5) De partibus animalium l. 3, c. 15.

et volucres unguilas, quod nemo sanae mentis dixerit. Cum igitur lepus nullam unguilam habeat, hoc ipso verissimum est, quod *Moyses* cit. loc. ait: *Lepus — unguilam non dividit*. Divisam enim unguilam habere non potest, qui nullam unguilam habet. Paucis: sensus verborum cit. loc. (prout *Cornelius a Lap.* recte observat) est iste: *Lepus non hadet unguilam seu basim osseam et continuam, quam dividat, sed loco eius habet ungues varios et aculeatos*. Dicat nunc *Zapata* cum suis: quid in hac propositione falsi? Illud solum adhuc addo, valde paradoxum esse, et incredulos sibi-metipsis manifeste contradicere, dum ex una parte *Moysen* calumniantur et depingunt tanquam vaferrimum et maximum impostorem, qui scientia aegyptiorum et variis ad decipiendum artibus instructissimus populum hebraeorum aliosque homines turpissime deluserit; ex altera vero parte crassos eidem errores contra physicam et historiam rerum naturalium impingere conantur, e. g. cum arguunt, quod in lege a se promulgata scripserit, leporem ruminare, cum tamen non ruminet: non habere unguilam divisam, cum tamen talem habeat; esum gryphum israelitis esse prohibitum, cum tamen gryphes nulli dentur. Profecto si haec accusatio aliquid probaret, clare sequeretur, *Moysen* non fuisse callidum et expertem impostorem, sed legislatorem imperitum, qui legi suae crassos errores contra rerum naturalium veritatem historicam inserendo, et se, et legem suam publico derisui ac contemptui exposuerit. Verum plura iam de gryphe.

Itaque ad obiectionem de GRYPHE, cuius esus Lev. xi, v. 13 israelitis prohibetur, cum tamen incertum sit, utrum gryphes dentur, R. ne-

(1) L. 5.

(2) L. 4, c. 26.

gando suppositum, quod hoc loco sermo sit de gryphe illo, quem describunt *Herodotus* (1), *Aelianus* (2), *Philostratus* (3), et alii, quique animal sit quadrupes, auritum, pennatum, alis et facie aquilarum, leoninis unguibus ac iubis totoque reliquo corpore, in scyticis aut hyperboreis Asiae montibus habitans, aurum, quod iis in locis copiosum est, ab *Arimasporum*, qui monoculi sunt in ea regione populi, rapina custodiens, ob idque cum iis perpetuum bellum gerens: haec enim omnia merito a *Plinio* (4), *Alberto Magno*, et aliis passim recentioribus, fabulis accensentur. Et vero, quorsum eius animalis esum prohiberet Scriptura, quod nec in Iudaea nasceretur, nec iudaeis esset notum? Addo, quod nec in rerum natura reperitur; et a quo, si reperiretur, satis per se natura abhorreret, sicut nec tigrides, nec leones Scriptura inter prohibitos cibos nominat. Accedit non fuisse speciatim id genus animalis exprimendum, cum, etsi, alicubi extaret, generali illa sententia et inhibitione Lev. ii, v. 20 *omne de volucris quod graditur super quatuor pedes, abominabile erit vobis*, esset eius esus prohibitus. Igitur melius hic *gryphis* nomine interpretes intelligunt accipitrem, vulturem, vel aliud simile animal rapax et pennatum, sic dictum a rostri et unguium aduncitate. Vox enim graeca $\tau\rho\rho\psi$ avem adunco rostro, et hebraea פֶּרֶס *peres* (quae cit. loc.

adhibetur) nisum, vel certae speciei aquilam significat. Sunt enim in genere accipitrum vel aquilarum plures species, quibus diversa esse poterunt nomina. Nec vero desunt, qui aquilam cit. loc. Lev. v. 13 ossifragam interpretentur, prout te-

(3) L. 5 de vita *Apollonis*

(4) L. 10, c. 49.

statur *Bonfrerius* in cit. locum Levitic; et sane hanc avem ex aquilino esse genere, probabile facit, quod eodem versu 13 aquila antecesserit, et mox *haliaetus* subiungatur (1), quae etiam aquilae species est, scilicet ea, quae *aquila marina* dicitur. Praeterea, cum nomen hebraicum פֶּרֶס *peres* a radice hebraea פָּרַס *paras*, *fudit*, *fregit* derivetur;

apte significare creditur avem seu aquilam ossifragam, quae captae praedae carnibus devoratis, etiam ossa frangit, ut medulla potiat. Verum, quidquid de hoc sit, Scriptura certe non prohibet esum eius animalis, quod iudaeis prorsus esset incognitum: sed, sicut *Moyses* haud dubie sciverit, quale volucrum rapacium genus prohiberet, ita iudaei sciverint, quid prohibeatur.

39. QUAERES XXVII. *An lex Lev. 2, v. 1 dicens: ANIMA CUM OBTULERIT OBLATIONEM SACRIFICII DOMINO, SIMILAE ERIT EIUS OBLATIO, FUNDETQUE SUPER EAM OLEUM, ET PONET THUS, non contradicat legi Lev. 5, v. 11, quae sic habet: OFFERET PRO PECCATO SUO SIMILAE PARTEM EPHI DECIMAM. NON MITTET IN EAM OLEUM, NEC THURIS ALIQUID IMPONET; QUIA PRO PECCATO EST. An praecipere, et prohibere idem (nimirum affusionem olei, et impositionem thuris) non sunt leges sibi oppositae? R.* Hae duae leges nequaquam sibi opponuntur; quia diversa respiciunt sacrificia.

(1) Nam Levitic. c. 11, v. 13, dicitur: *Haec sunt quae de avibus comedere non debetis, et vitanda sunt vobis; aquilam et gryphem, et haliaetum.*

(2) Comment. in Lev. c. 5, v. 11.

(3) Genes. c. 17, v. 10 et seq.

(4) Lev. c. 12, v. 5.

(5) Vide *Origenem* contra *Celsum*, l. 1, et 3.(6) Vide *Cyrillum* contra *Iulianum* l. 10.

Nam in prima lege est sermo de sacrificio gratiarum actorio, in altera vero de expiatorio seu satisfactorio pro peccato, ut admonet ipse citatus versus: *quia pro peccato est*. Oleum enim et thus ad delicias et iucunditatem faciunt, non ad poenitentiam. Ita cum aliis interpretibus *Cornelius a Lap.* (2) dictas leges inter se conciliat, secutus hac in re *s. Cyrillum*, *Procopium*, et *Theodoretum*, quos citat.

40. QUAERES XXVIII. *An ritus circumcisionis originaliter sit ex praecepto divino (3) Abrahamo dato, et israelitis in libro Levitic (4) per Moysen pron. u'gato, vel an iam ante Abrahamum apud aegyptios usitatus fuerit? R.* Originaliter est ex memorato praecepto divino. Antequam autem id pluribus ostendam, observo, quod *Celsus* (5), et *Iulianus* apostata (6), quibus hac in re *Marshamus*, *Ioan. Clericus*, et *Voltairius* adstipulantur, contendunt, ritum circumcisionis iam ante *Abrahamum* apud aegyptios in usu fuisse. Ad hanc suam sententiam confirmandam *Voltairius* (7) adducit testimonium *Herodoti* (8) ita dicentis: *Nam et phoenices, et syrii, qui sunt in Palaestina, didicisse id (nimirum ritum circumcisionis) ab aegyptiis et ipsi confitentur*. Verum *Herodoti* testimonium, uni duntaxat innixum relationi sacerdotum aegyptiorum caeremonias et vetustatem suae gentis iactantium, parvi facienda est. Qui enim fieri potuisset, ut circumcisio esset signum

(7) Vide cl. *Nonnotte* philos. lexicon t. 4, art. *Circuncision*. § 1, idem cl. auctor cit. loc. § 8, etiam recenset et refutat effatum *Voltairii* dicentis, non esse mirandum, quod Deus, qui baptismum apud asiaticos ab antiquissimis temporibus usitatum ad rationem sacramenti elevavit, etiam circumcisionem apud africanos aequae vetustam sanctificaverit.

(8) L. 2.

speciale pacti seu foederis a Deo cum israelitis initi, quod hebraeos a gentilibus distingueret, si eadem apud aegyptios, et alias nationes iam prius fuisset usitata? Praeterea *Herodotus* a pluribus tam antiquis, quam recentioribus scriptoribus *Clelia*, *Strabone*, *Diodoro Siculo*, *Plutarcho*, *Iosepho Iud.*, *Ludov. Vives*, *Bodino* etc. (quamvis quidam respective pauci, *Ald. Manutius*, *Ioach. Camerarius*, *Montfaucon* causam *Herodoti* defendendam susceperint) pro fabulatore habetur (1). Confirmatur haec adsertio ex ipsis *Herodoti* verbis supra adductis. Nam ait, populos *Palaestinae confiteri*, se *circumcisionem ab aegyptiis didicisse*. Verum populi *Palaestinae* tempore *Herodoti*, qui (utpote anni mundi 3501 natus) *Esdrae* vel *Nehemiae* coevus erat (2), erant iudaei, philisthaei, et phoenices. At iudaei nunquam confessi sunt, se *circumcisionem* ab aegyptiis didicisse. Philisthaei vero in s. Scriptura passim nominantur *incircumcisi*: similiter phoenices nunquam usi sunt *circumcisione*. Qui vero scribunt, eos hunc ritum servasse, nomine *phoenicum* intelligunt *samaritanos* sive *cuthaeos*, qui hunc ritum una cum *Moyses* lege sibi adoptarunt, adeoque ex *Moyses* lege didicerunt. Phoenices vero caeteros a *circumcisione* abhorruisse, liquido constat, ut *Calmetus* (3) ait. Falsum igitur est *Palaestinae* populos ritum *circumcisionis* ab aegyptiis didicisse. Imo aegyptios inter gentes *incircumcisas* ponit *Ieremias* (4), dicens: *super Aegyptum — et super Edom, et super filios Ammon, et super Moab — quia omnes hae gentes*

(1) Ita testatur universal. lexicon lipsiens. t. 12, verbo: *Herodotus*.

(2) Inspice tabulam chronol. biblic. de qua mentionem fecimus supra n. 8, ad tertium.

habent praepulium. Noverat enim vero *Ieremias* aegyptios: habitabat inter eos: aegyptii et iudaei illo tempore multum habebant inter se commercii. Praeponderat igitur testimonium huius prophetae (etiamsi duntaxat ut humanum spectent testimonium praeter supra memoratos, praescindendo ab inspiratione divina, quam is habuit) narrationi *Herodoti* scriptoris graeci, de quo *Cicero* (5) ait, quod apud illum *innumerabiles fabulae* reperiantur. Praeterea, cum nemini ignotum sit, quam severe Deus per *Moysen* et prophetas hebraeis prohibuerit, ne gentium ritus sibi adsciscant; quis credat, *Moysen* et prophetis non solum permittentibus, sed approbantibus et nomine Dei iubentibus, hebraeos *circumcisionem* ab aegyptiis sibi adscivisse?

Circumcidebantur quidem apud aegyptios aliqui, sed soli sacerdotes et philosophi, ut testatur *Origenes* (6), qui ipsemet aegyptius erat, utpote *Alexandriae* natus. Admittebant autem sacerdotes et philosophi aegyptiaci hunc ritum verisimillime ex hac ratione, quia sciebant, eum in signum divini cuiusdam pacti esse institutum: quare et ipsi per hoc signum se a vulgo discernere, et instar hominum Deo specialiter consecratorum, longeque supra ignobile vulgus eminentium habere volebant. Igitur non israelitae ab aegyptiis, sed hi ab illis ritum *circumcisionis* vel immediate, vel mediate didicerunt. *Bochartus* non immediate ab hebraeis, sed ex arabibus hunc ritum in Aegyptum fluxisse autumat; quod probabilius videtur. Nam aegyptii *circumcisio-*

(3) In Dictionario biblico, v. *Circumcisio*.

(4) *Ierem.* c. 9, v. 25 et 26.

(5) Lib. 1 de legibus.

(6) Lib. 2, c. 2 in epist. ad Rom.

ne non utuntur octava post natiuitatem die, ut hebraei: sed primum decimo tertio aetatis suae anno, ut arabes faciunt, *Ismaëlem*, a quo descendunt, imitaturi, qui *tredecim annos impleverat tempore circumcisionis suae* (1). Dein pars Arabiae erat contermina Aegypto, et teste *Strabone* regionem, quae inter Nilum et mare rubrum interiaceret, arabes incolebant. Praeterea scriptores quidam contendunt, reges pastoritios, qui Aegyptum diu ante graecorum gentem occupabant, ex Arabia venisse: qua occasione *circumcisionis* apud aegyptios aliquis usus induci potuit. Porro quod ad ipsos arabes et *ismaëlitas* spectat, extra dubium est, eos hunc ritum ex *Abrahamo* recepisse, quem non secus ac hebraei generis sui auctorem illi agnoscunt. *Idumaei* vero, quamvis ex genere *Abraham* et *Isaac*, non tamen nisi postquam a *Ioanne Hircano* debellati sunt, *circumcisionem* et *Moyses* legem a victore populo traditas subierunt (2). Denique *aethiopes*, qui pariter *circumcisione* utuntur, hunc ritum similiter ab arabibus didicerunt, ut non vana coniectura est. Arabia enim ab Africa et Aethiopia solo freto *Bab-el-Mandeb* disterminatur, et africani ac aethiopes olim, sicut hodie, magnum habent cum arabibus commercium, quod occasio esse potuit introducendae in Aethiopia *circumcisionis*. Omnes igitur populi, qui *circumcisionis* ritum admittabant, vel admittunt, eum ab hebraeis vel immediate, vel saltem mediate receperunt; hebraei autem iussu Dei ab *Abrahamo*, ac dein a *Moysen*, qui cit. loc. in libro

(1) *Genes.* c. 17, v. 25.

(2) Vide *Iosephi* antiq. l. 15, c. 17.

(3) In dissert. de origine *circumcisionis* t. 1, ante com. in 1 *Genes.*; item in Diction. biblic. *Circumcisio*

levitici legem *circumcisionis* hebraeis solemniter promulgavit. Qui plura de origine *circumcisionis* scire desiderat, consulat *Calmetum* (3), *Nonnotte* (4), *Feller* (5), aut alios.

SCHOLION. Modo laudatus *Feller* cit. loc. recte observat, nostris temporibus morem invalescere negandi, quod doctrina et caeremoniae legis mosaicae in origine sua fuerint hebraeis propriae et a *Moysen* primitus traditae. Nam iuxta hodiernorum philosophorum (ut sese appellant) effatum *Moyses* easdem ab exteris gentibus mutuatus est: « Hexameron, inquiunt, seu creationis mundi spatio sex dierum factae historiam *Moyses* didicit a phoenicibus, chaldaeis, indis, et persis: *circumcisio* iam ante *Moysen* et *Abrahamum* apud aegyptios usitata fuit etc. Paucis: *Moyses* terrarum orbem percursavit, ad colligendos omnium gentium errores et pentateucho suo inserendos. » Verum haec et similia sunt nuda vanorum hominum adserta, nullo solido nixa argumento. Omnes enim eruditi consentiunt, quod *Moyses* cunctis scriptoribus profanis antiquior sit; quod veteres poëtae, gentiles philosophi et legislatores magnam partem suae doctrinae ex pentateucho, aliisque libris veteris testamenti desumpserint; prout referunt *Clemens Alex.*, *Iustinus*, *Tertullianus*, *Eusebius*, *Augustinus* etc. (6). Res mira! tantae antiquorum auctoritati contradicit hodierna novandi libido, et quod tota veneranda patrum antiquitas sibi persuasum habuit, id post octodecim aerae christianae saecula negant novaturientes philosophi, ac asserunt, gentiles non ex

(4) Loc. cit.

(5) Catéch. philos. tom. 2, p. 158, n. 280 et 281.

(6) Vide supra quaest. 2, n. 2, 3 et 4.

sacris hebraeorum libris didicisse, sed potius *Moysem* et hebraeos suam doctrinam et ritus ex gentiliū doctrina et ritibus hausisse; asserunt id, inquam, sed minime probant.

CAPUT IV.

De Libro Numerorum.

Vocatur hic liber ab hebraeis וידבר *Vajdabber* a prima libri voce locutusque est; a latinis vero *Numeri*, quemadmodum etiam a graecis Ἀριθμοὶ propterea quod hic liber multus sit in variis dinumerationibus faciendis, e. gr. bellatorum *I-sraël* cap. 1, primogenitorum et levitarum cap. 3, etc.: quamquam non haec tantummodo hoc libro contineantur, sed et multa alia partim historica, partim praecepta caeremonialia, ac iudicialia nonnulla. Complectitur autem idem liber gesta annorum fere triginta novem, nempe a mense secundo anni secundi egressus hebraeorum ex Aegypto, usque ad finem pene vitae *Moy-sis*, sive peregrinationis 40 annorum in deserto: prout ex Num. 1, v. 1, et Deut. 1, v. 3 liquet.

41. QUÆRES XXIX. *Utrum verisimile sit tam grandes uvae in Palaestina crescere aut olim crevisse, ut duo viri exploratores (1), unam earum ex palmite pendentem in vecte portaverint? R.* Id omnino verisimile est. Nam imprimis aptius portare uvam non poterant, nisi in vecte, non tam propter eius magnitudinem aut pondus, sed ne comprimeretur, aut alio modo laesa putresceret. Dein neque illud incredi-

(1) Num. 15, v. 24, ubi narratur: Pergentesque usque ad torrentem botri, absciderunt palmitem cum uva sua, quem portaverunt in vecte duo viri.

(2) L. 14, c. 1.

(3) L. 2 et 41.

bile est, uvam fuisse mirae magnitudinis et ponderis. Qui enim hoc assertum in suspicionem falsitatis adducunt, in regiones exterarum deducendi sunt, ut alibi esse multa intelligant, quibus domi carent. Doctiss. *Calmet* in hunc s. Scripturae locum, exempla uvarum grandium ex auctoribus gallicis collegit. Sic, ut alia taceam, in valle *Sorec* reperiuntur uvae vulgares librarum duodecim, generosissimae ad viginti quinque, *Damasci* ultra quadraginta. *Plinius* (2) affirmat, in inferiori Africae parte uvae nasci, quae magnitudinem infantium puerorum exsuperant. *Strabo* (3) refert, gignibotros in *Carmania*, qui ad duos cubitos in longum extenduntur. *Ioan. Forsterus* (4) narrat, se *Norinbergae* novisse virum quemdam religiosum, *Acacium* nomine, divini verbi in ea urbe praeconem, qui octo annos in *Palaestina* transegerat. Hic tunc hydropē laborans, cum in dies singulos, quo se recrearet, granum tantummodo ex racemis alias in terra sancta a se visis desiderare diceret, interrogatus a *Forstero* de horum botrorum magnitudine, respondebat, unum huiusmodi botrum aegre gestari posse a duobus viris, eosque gigni in valle *Hebron* (ubi etiam botrum suum reciderant israelitarum exploratores) ac ab incolis lingua barbarorum *Musi* appellari.

42. QUÆRES XXX. *Sitne credibile, quod asina Balaami (5) locuta sit, cum tamen locutio rationem supponat? R.* Quamvis brutum loqui non possit proprie atque ita, ut intelligat, quid loquatur (istud enim

(4) In Diction. hebraico n. 1623, in *Rad Schachal*, voce *Eschol*.

(5) Num. 22, v. 28, ubi narratur: Aperuitque Dominus os asinae, et locuta est: Quid feci tibi? cur percussis me? ecce iam tertio?

necessario requirit usum rationis): tamen, intacta bruti natura, aliquis spiritus sive bonus, sive malus eius organis velut instrumento uti potest ad sonos formandos, quin horum sententiam brutum ipsum intelligat. Quod si ne hoc quidem portentum capis, homo incredibile! age, an facilius capis, quomodo olim daemon ex idolis, vel per ventriloquos et pythones ex imo ventris fuerit locutus? Numquid etiam sola arte humana psittaci, picae etc. condoceseri possunt, ut voces articulatas proferant? Nonne plura eiusmodi exempla brutorum sive ope daemonis (1), sive sine hac (2) articulate loquentium extant? Itaque dicendum, quod angelus commoverit asinae *Balaami* linguam, atque aërem in ore asinae ita colliserit et alliserit ad organa oris asinae, ut sonus ederetur articulatus, vocique humanae quam simillimus. Nihil enim in hoc est vel absurdi, vel indecentis, vel incredibile, ut ex dictis patet.

COROLLARIUM. Fallunt, aut falluntur increduli, dum exclamant:

(1) Vide Thesaurum bibl. collectum a rever. *Carolo Stengelio* abbate *Angusano*, p. 2, c. 4, ubi inter alia narratur, quod canis *Simonis Magi*, tum alios, tum *D. Petrum* sit allocutus; prout testatur *Glycas* in annalibus. Item, quod eo tempore, quo *Tiberis* violentiore quam alias unquam impetu alveo digressus, urbiq̄ue illatus plurima tum publica, tum privata evertit monumenta, bos fuerit locutus et dixerit, *Roma tibi cave*, ut refert *Iulius obsequens* in lib. de prodigiis.

(2) Sic memorat *Caelius Rhodiginus*, psittacum *Ascanii* cardinalis perpetua serie recitasse latino idiomate fidei symbolum nullo admissio errore. Et *Macrobius* l. 2. *Saturn.* narrat de corvo, qui ex *Actiaco* praelio revertentem *Octavium* salutavit his verbis: *Ave Caesar Victor Imperator*. Alia huiusmodi exempla invenies in laudato thesauro biblic. loc. cit.

(3) Hinc *Philonis* et quorundam aliorum colloquium serpentis cum *Eva* duntaxat allegorice explicantium opinio semper a theologis et interpretibus s. Scri-

Papae! quale prodigium, quod asina loquitur! Tales eventus vix ullibi reperias, praeterquam apud poetas, et in libris a Deo inspiratis. Errant etiam ii, qui locutionem illam asinae non nisi in mente, cogitationeque *Balaami*, quemadmodum alii illud colloquium serpentis cum *Eva* (3), admittere volunt. Nulla enim est necessitas ita torquendi s. Scripturam, et in sensu improprio sumendi: praesertim, cum etiam in novo testamento s. *Petrus* hanc historiam de asina *Balaami* loquente aperte confirmaverit (4) dicens, *corruptionem vero (propheta Balaam) habuit suae vesaniae: subiugale mutum animal, hominis voce loquens, prohibuit prophetiae insipientiam.*

Neque REPLICES cum incredulis interrogantibus: si asina locuta est, cur ergo sessor nulla tactus est admiratione? Nam R. Scriptura, etsi admirationem non exprimat, eandem tamen non negat. Ceterum si *Balaam* nulla admiratione est captus, talibus monstris, utpote hariolus et necromantes (5) iam

pturae fuit reiecta; ut supra n. 24 ostendimus. Item merito reiecta semper est sententia *Caietani*, qui in c. 5 *Genesis* docuit, diabolum tentasse *Evam* per solam suggestionem interiorum, sicut nos nunc tentare solet, metaphorice intelligens, quae dicuntur de serpente.

(4) In sua prima epistola, c. 2, v. 16.

(5) Nam n. 22, v. 5, expresse vocatur hariolus, et n. 24, v. 1, indicatur, quod vanus augur fuerit. Hoc non obstante simul fuit verus propheta Dei transeunter, et velut per accidens, praeter alia quaedam etiam n. 24, v. 17, praedicendo adventum Christi Domini, sicut *Caiphas* (quamvis malitiosus et chisticida) *Ioan.* c. 11, v. 51, prophetavit: Et sicut multi ex reprobis in die extremi iudicii dicent: *Nonne in nomine tuo prophetavimus?* *Matth.* c. 7, v. 22. Nam prophetia nequaquam certum est sanctitatis hominis, cui Deus hoc donum elargitus est, indicium. Eiusmodi enim dona gratis data sine fide et caritate nihil prosunt ad salutem eius,